

Dissertatione medica inaugurali cautiones in cognoscendo curandoque scorbuto necessarias ... / auctor et respondens Samuel Christoph. Ursinus.

Contributors

Ursinus, Samuel Christoph.
Heucher, Johann Heinrich, 1677-1747.

Publication/Creation

Vitembergae : Literis Christiani Gerdessii, [1712]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ax3aqfy4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISS. PRINCIPE REGIO AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO
ELECT. SAX. HEREDE, ETC. ETC. ETC.

DISSERTATIONE MEDICA INAUGVRAL.

CAVTIONES
IN COGNOSCENDO
CVRANDOQVE
SCORBVTO NECESSARIAS,

PRÆSIDE

O. HENR. HEVCHERO,
PHIL. ET MEDIC. DOCT. ANAT. ET BOTAN.
PROF. PVBL.

PRO POTESTATE

ONSEQVENDI SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES,
ERVDITORVM EXAMINI

SVBIICIET

AVCTOR ET RESPONDENS

AMVEL CHRISTOPH. VRSINVS,
BVTTELSTAD. THVRING.

A. D. FEBR. clō Id cc XII.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.



PRAEFATIO.



Tomnia fere perplacent uatis Venusini: sic illud in primis in Carminibus uerbum:

Quid quisque uitet, nunquam homini satis

Cautum est in horas.

Quod aureum monitum licet omnibus sit datum hominibus: uidetur tamen ad eos praecipue, qui praecipuam hominum gerunt curam, referri posse. Nullis enim mortalibus, quam eis, quos modo dixi, maiori opus cautione. Quo grauiora enim horum munera officii, hoc facilius ad lapsum uia: hoc procliuius praecipitium. Tum autem, ubi et maius a casu periculum, et metus a prolapsione grauiori: ibi cum maxime cauendum. Neque uero meum duco percurrere in praesens quacuis hominum genera, quibus mortalium salus praecipue curatur. Quam arduum sit Theologorum officium, quantaque iis

necessaria cautio, ne qua anima salute aeterna excidat, inque orcum incidat, meum non est demonstrare. Est uero et alienum instituto meo exponere de Iurisconsultorum cautionibus. Vasta eorum de hisce condita uolumina cognoscat ille, si cui cauere placet, ne clientum honos, fortuna, uita periclitetur, aut perdatur. Mihi quidem morbi, morborumque insidiae, ac fallaciae ante oculos uersantur. Facilis et hic est lapsus: facilis ex morbo leuiori in grauiorem hic praecipitatio; facilis uel ipsa aegrorum ruina, mors, interitus. Quare, si quos in homines alios, profecto in Medicos, poetae competit uerbum:

*Quid quisque uitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas.*

Nec defuerunt, fateor, ante nos, qui hinc inde aliquid de eo, quod cauendum, scripserunt: sed quotusquisque est, qui tot uasta perlegat uolumina? quotusquisque fit uacuis ad eruendas ex quorundam librorum fimetis, saepe horrendis, uniones singulos? quantulumque est illud, quod BONETVS ex operibus BALLONII in suam deriuauit Pharus Medicorum, inque Mercurium, quem uocat, Compitalitium? quantulum, quod PRIMEROSIUS conscripsit opusculo de Vulgi in Medicina erroribus? quantulum, quod VALDSCHMIDIUS in Monitis Medico-practicis? quantulum denique, quod in sua Pra-

xi Medicinae infallibili VALENTINIUS? sique ipsas ARNOLDI de VILLA NOVA Cautelas Medicorum, et SEPTALII Medicorum Cautiones intuear, tamen nihil illae sunt omnes ad reliquas, quas Medici est adhibere, ne quam det noxam pro bono, plusque damni, quam salutis. Proinde sapienter admodum aliquot aevi nostri Medici censuerunt, hoc institutum per partes persequendum, talique ratione uniuersum morborum pelagum traiciendum esse. Quam quidem rem aggressi HOFMANNVS, et STAHLIVS, facem praelucere aliis instituerunt: quorum ille Cautiones circa curam Vlcera, Cautiones Conuulsionum, Cautiones Morborum Spasmodico - Conuulsiuorum uulgauit: hic de cauto Adstringentium usu operam suam, fidemque orbi erudito comprobauit. Quae ratio et mihi arridet summopere, et summe, maximeque necessaria uidetur. Ego uero laudatos consecretans duces, cui specimen pro potestate consequendi honoris Medici dandum esset, eas colligendas cautiones, diligenterque peruestigandas duxi, quarum usus in cognoscendo, tollendoque necessarius Scorbuto uideretur.

B. C. D.

CAUTIO.

I.

CAue, cum morbis aliis Scorbutum confundas.

Scilicet, quo labi est facilius, hoc magis est a lapsu cauendum, eodemque praesertim grauiore. Atqui hic et facile et turpissime nos labi posse, per quosdam eundo morbos constitui demonstrare. Ac primo quidem loco *Lues* prodeat *Venerea*, uel ideo, quod in hoc morbi genere fama cum uita non pari modo ambulet passu, sed hanc quoque auertat, dum eius uel leuis suspicio haud leuem famae inurit maculam, eidemque maiores, quam uitae ipsi struit insidias. At enim uero adeo cognati hi uidentur affectus, ut HELMONTIVS Scorbutum se habere instar Luis Venereae scripserit; VVALDSCHMIDIUS eum, qui unius probe affectus cognouerit naturam, et indolem, de alterius quoque causis facile differere posse iudicauerit, et PECHLINVS putauerit, utriusque morbi naturam distinguere tantum gradum uisci, et acrimoniae. Neque ullum mihi est dubium, olim Veneream Luem sub Scorbuti tegmine latuisse, saepius medicisque imposuisse. Ita enim et parentum Lue Venerea infectorum natos Symptomatis grauioribus affectionis Scorbuticae aemulis obnoxios degisse VVILLISIVS animaduertit: et Scorbuti Symptomata Venereae prae se ferre Luis faciem quotidiana testatur experientia. Hinc puto fieri, ut, si qui foedum occultare studeant morbum, fere nomen Scorbuti praetexant. Ceterum utrinque adsunt et capitis, et osium dolores, osteocopi dicti, iidemque noctu, imprimis graues: utrinque

que maculis foedatur cutis: utrinque dentium metuitur casus: utrinque detestabilis exhalatur foetor: utrinque spiratur contagium: adest ingens utrinque tam macularum quam ulcusculorum contumacium taboque et uiscido pure manantium copia: maligna utrinque ulcera palatum, faucesque depascunt: et utrinque ne quid Scorbuto ad aemulationem deesse uideatur, cum bubones, uirorum inguen afficientes, tum acris uirulentaque sanies stillans ex muliebribus notatur, aegrosque seuerissime affligit. Quae cum ita se habeant, cauendum sedulo putamus, ne innocentes Scorbutici duplici uirga caedantur, et praeterquam quod gravitate morbi satis iam affligantur, praeterea in foedissimi illius, atque abominabilis a Venere morbi incidant suspicionem sed ad hanc effugiendam minime equidem PECHLINVM audiendum arbitror, qui, Titium suum, apud quem omnia memorata coaluerant Symptomata, suspicionis effugisse aleam, fatetur, quod iurata fide, et nota probitate se absoluisset. Videtur enim ad medicos decipiendum quasi factum illud aegrorum genus, quod Iouem solet iurare lapidem, se furtiuos nunquam secutum Iouis amores, cum tamen deinceps aegritudinis euentus omnia edoceat alia. Quare ut affines admodum hos morbos, Veneream, Scorbuticamque Luem, recte distinguamus, existimarim, non tam in aegrorum fidem quam naturam morbi intuendum esse. Quod ut recte fiat, ante omnia ad Symptomatum, quae modo dixi communium copiam respiciendum. Namque, sicubi coniuncta simul in aliquo concurrunt aegro omnia, ibi parum ad iustam contagii Venerei suspicionem uidetur deesse. Hinc uero sigillatim, quod ad dolores attinet osteocopos, noctu incrementa sumentes, praeterea quod illi quartanis quoque febribus existant communes, adeoque pathognomonicum Luis Venereae signum non suppeditent; detegit etiam Scorbuticos pulsus paruus, et is inaequalis. Porro et in Scorbuto Cephalalgiam noctu auctam praecurrere solent plerumque euacuationes sanguinis, Haemorrhoidales

cum primis suppressae: Huc accedit, quod dolor capitis non aequè tenaciter inhaereat nuchae, in Scorbuto, quam Lue Venerea. Ad haec dolores nocturni in Scorbuto magis pungunt, magisue pungendo grauant, quam Lue in Gallica, ubi tendunt magis. Iidem occupant in Scorbuto plures partes simul, suntque minus profundi: unde et minus proprie osteocopi dicuntur. Namque osteocopi dolores proprie solius sunt Luis Venereae, utpote in qua dolores quasi ossium centra occupant. Sunt denique in Scorbuto aliis, quam in Lue Venerea stipati Symptomatibus nocturni dolores. Tumores magni, et profundi cum in inguinibus Scorbuticorum, tum in aliis corporis partibus nonnunquam reperiendi, tumores, bubonesque Gallicos aemulantur quidem, at ab iisdem eo discernuntur, quod in his apertis materia pinguis, lardo similis, plerumque reperiatur, qualem Scorbutici non ostendunt. Praeterea erumpunt eiusmodi tumores Scorbutici hinc inde subito, eademque facilitate et promptitudine, qua orti sunt, euanescent, atque inde ab ortus sui initio leuem admodum parti affectae resolutionem afferunt, immo Paralytin Scorbuticam antecedere consueuerunt. At longe aliter in Lue fit Venerea. Adde quod tumores Scorbutici sequantur uitam tristem, et calamitosam: Venerei e contrario luxuriosam. De pustulis monendum, Venereas in pilosis potissimum enasci locis, et Scorbuticis per reliqua Scorbuti signa distingui. Quod cum alias, tum tunc ad animum reuocandum, cum in *EVGALENO* legimus, Scorbuto uel ipsum nonnunquam penem exulcerari; cum in *SENNERTO*, feminarum Scorbuticarum fluorem album adeo falsum, et acrem nonnunquam esse, ut uiri inde facile inficiantur. Ecquid enim affectiones eiusmodi a Lue distinguat Venerea, praeter id, quod Scorbuto est pathognomonicum: Dentes sicubi aegris utrisque uacillant, iidemque foetidam spirant animam, sciendum oris haec uitia Lui Venereae non esse perpetua, ac fere tantum post usum hydrargyri accedere, cum ex aduerso a Scorbuto fere sint

sint inseparabilia. De faucium, tonsillarum, ac palati erosionibus placet, quod aliquando C. I. LANGIUM tulisse legimus iudicium, qui, cum ex eo quaereretur: An ex earum praesentia morbus Gallicus colligi possit? respondit, ex uno Symptomate non posse conici Luem Veneream, esseque semper ad aegri indolem, aliasque circumstantias attendendum. Vnde et aegram illam, de qua interrogatus fuerat, a suspitione absoluit, uel ideo, quod esset cachectica, quodque exulceratio ista quotannis uerno tempore rediret. Ad contagium quod attinet, eo, fateor, Scorbutus interdum propagari potest. Interdum inquam. Nam saepius et ab aliis, et iis remotioribus, oritur causis. Luis contra Venereae alia est ratio, et ea contagio unice corrumpit. Adde, quod diversa sit mali Gallici, et Scorbuti curatio: id quod uel exempla demonstrant, quae apud SORBAITVM reperias, quibus constat Sudorifera et Mercurialia Scorbuticis noxam attulisse.

Deinde cauendum, ne Scorbutus confundatur cum *Febre*. Scorbuto, et feбри multa communia: cuius generis sunt calores, qui quidem nocturno tempore intenduntur: anorexia, lassitudo spontanea, anxietas cum lipothymia, exanthema, delirium, urina denique pulsusque praeternaturalis. Haec omnia et insunt in Scorbuticis, et etiam febrim mentiuntur. Veruntamen eadem differunt in Scorbuto, et febribus. Ac de Urina quidem cautione uidebimus propria. Lassitudo in Scorbuto languorem potius, quam morbum initio arguit, nec sensibile uirium detrimentum affert: contra in feбри cum uiribus deiectis, prostratisque, coniungitur, quin et euidentiora adsunt febris indicia. Anorexia Scorbutica tanta non est, quanta febrilis. Scorbuticum uero animi deliquium a febrili egregie his distinguit uerbis EVGALENS. *Qui in paruo, inquit, quantum ad sensum, morbo, a quo decumbentes parum aut nihil pati uidentur, subito ac prater rationem animo linquntur, aut ad animi deliquium proni sunt, bi illud ob Scorbutum patiuntur.* Deliria Scorbuti-

buticorum, ut inopinato inuadunt, ita saepe facile remittunt, nec inflammationem cerebri, aut insignem medullae eius affectionem, pro fundamento habent, eoque ipso ab aliis deliriis distinguuntur. Sed et ab iisdem differunt urinis Scorbuto propriis, inopia pulsus febrilis, itemque causis. Si qui maculas Scorbuticorum ab exanthematibus febrilibus distinguere nesciunt, illi mihi uidentur similes ei, quem a B. Praeceptore SPERLINGIO, missum aliquando nouimus ad explorandum aegrum, cuius pulicum morsus medicus ille pro petechiis habuit, utut aeger ille non febricitaret. Grauius scilicet febricitant, qui exanthemata habent febrilia: Scorbuticorumque praeterea maculae pedes imprimis occupare solent, et in multos usque nonnunquam durant annos, & plerumque ampliores sunt, ac latiores. Calor denique, in Scorbuto affligens, a febrili optime distinguitur, quod typus febrilis ei desit, hoc est, quod erraticus is sit, et fugax: unde et Phlogoseos accepit nomen. Idem infestat sine horrore, ac frigore: ac licet certis interdum interuallis quotidianam aemulari uideatur febrim, huius tamen non habet proprietates.

Calor etiam Scorbuticus pro *Calore Hectico*, ac tali, qualis lentus esse solet febribus, saepius habetur. Cur pro tali habeatur, haec est causa, quia cum nocturno saepius inuadit tempore, tum in tempus usque matutinum durat: tum largissimos sudores habet nocturnos comites: tum et nonnunquam Atrophiam procreat. At enim uero haec omnia non sufficiunt ad Hecticae, Lentaeque Febris demonstrationem. Desunt enim etiamnum uisceris signa corrupti, cuius ulcus, aliudue uitium, lenta consequatur febris. Neque sudores, quarnuis copiosissimi, Scorbuticos conficiunt: conficiunt autem hecticos. Hinc uero et propria Phthiseos, febrisque hecticae signa non adsunt. Contra ea pulsus, urina, et alia, quae tum antecessere, tum adhuc praesentia sunt indicia, Scorbutum principem auctorem arguunt. Ut multa ne dicam de siti, quae febricitantibus tantum non est domestica: at Scorbuticis fere nulla, aut saltem nullius momen-

menti, etiamsi fuerit lingua fissuris foeda. Egregie de febris hectica, et scorbutica, ETTMULLERVS sic scribit. *Scorbutica Febris in nostris prouinciis profecto est frequentissima, adeo ut hinc nonnulli sibi persuadeant, hecticam febrim penitus esse amissam in pathologia moderna, in eiusque locum surrogatam esse Febrim Scorbuticam. Huius diagnostica signa sunt omnia ea, quae per se Scorbutum significant, palmarium interim notetur signum, quod in febre hac adsint notabilia circa appetitum uitia. Verbi gratia adest nimius, ut plurimum aut cum Vomitu, aut deprauatus, ita ut ad omnis generis salsa feratur appetitus. Item in febre Scorbutica ut plurimum adsunt obstructions alui contumaces: in habitu corporis videntur maculae liuidae, demumque sudor odorem spargit subacidum, reperiturque in lecto mane copiosum rubrum sabulum: praeterea adest totius corporis macies. Ceterum ex dictis caue tibi persuadeas, Scorbutum prorsus, omninoque a febre abesse. Febris saepe Scorbuto iuncta est, et inde dicta Scorbutica. Eiusdemque uaria genera, ab aliis febribus disternare ex EUGALENO SENNERTVS docet. Facile ceteroquin patet Scorbuticas inter, et alias febres, differentia. Contumacior ceteris Scorbutica febris, curatue difficilior. Nam quotiescunque februm curatio non ex uoto succedet, Scorbutici aliquid subesse, non immerito suspicaberis. Illa praeterea in principio Paroxyfmi uel cum Caro, uel cum conuulsione ceterum breui sponte remittente, coniuncta. Produnt denique sese in tali febre etiam alia Scorbuti signa, Scorbutum manifestantia.*

Cauendum quoque ne *Hydrops* ex Scorbuto oriundus cum eo, qui cum Scorbuto nihil habet commercii, confundatur. Maior in Scorbuto hydropico, quam in Hydrope, respirationis difficultas. Est et ibi praeter respirationis molestiam multa de angustiis praecordiorum querela. Et quanquam utrumque horum malorum cedit remediis, iis in primis, quae flatus discutunt, tamen redit per interualla. At haec in Hydrope accidere non solent. Porro, simul atque in Scorbuticis ple-

thoricis Hydrops adest, facies liuida peccantis praebet indicium humoris. At nec id in Hydropis principio animaduertitur. Item tumor in Scorbuto hydropico durus magis, magisque tensus est, quam in Hydrope esse suevit. Vnde ille digitorum uestigia facile, atque satis alte recipit, et recepta, tumorum more oedematosorum, diu seruat. Scorbutus praeterea Hydropicus a causa euidente, siue occasione quadam, et quidem subito excitatur, imo humores cum primis male affectos habet; cum ex aduerso in hydrope solidae magis partes uiscerum laborent. Interea dubium est nullum, quin Scorbuticus eiusmodi et occasionalis Hydrops, sicubi radices egerit altius, in habituaalem tandem, uerumque hydropem degenerare possit.

At dolor uentris Scorbuticus, a quo dolore morbum *Schörbunck* dictum aiunt, quasi uentris rupturam, eo quod tanta adsint uentris tormina, et lancinationes, ut diuelli omnia, atque dilacerari, aegris uideantur, etsi cognatus aliquo modo est *dolori colico*, a flatibus oriundo intestina distendentibus: tamen nihilominus multum a Colica differt. Hic enim morbus nec ita est pertinax, nec ita diuturnus; sed, deiecta aluo, eiectionisque flatibus, breui euanescit: circumscribitur etiam situ intestini coli, estque coniunctus cum abdominis tumore. Contra in doloribus uentris Scorbuticis omnia multo aliter sese habent. Hi etenim satis saepe sunt diuturni, usque adeo, ut uel ultra dies quadraginta nonnunquam durent: nec tantummodo coli sequuntur situm; sed quaquauersum sentiuntur. Totus interdum uenter dolet infimus: qui cruciatus, si quando diutius persistit, in lumbos usque, dorsumque propagatur, indeque in totius membra corporis diffunditur. Quo fit, ut non raro succedat Paralysis. Ceterum id, quod cum maxime incurrit oculos, est depressus potius abdominis fornix, quam laqueatus. Atque ille quidem usque eo depressus est nonnunquam, ut cum umbilicus retractus, lumbisque quasi affixus, tum uenter totus concauus esse uideat-

uideatur. Addo et illud, quod in Scorbuto distensio intesti-
norum potius in longum, quam in latum sentiatur: quod item
intestinum rectum sit reuulsum, nec exitum fecibus, nec introi-
tum glandibus clysteribusque concedens: quod denique grauiora
cum dolore uentris mala sint coniuncta, quam quae Colicam,
a flatibus ortam, soleant comitari.

Est et mali genus, quod cum per se affligit, tum multis
coniunctum morbis, ac *Dyspnoea* appellatur. Quatenus igitur
est Symptoma, ex ea cauendum parte, ne Scorbutum cum
aliis confundat morbis. Atqui est *Dyspnoea* alia Scorbutica, alia
thoracis: magnaue existit inter haec *Dyspnoeas* genera diffe-
rentia. Scorbutici nunquam de thorace conqueruntur, sed
locum affectum, ubi grauitatem sentiunt, et cuius causa cum dif-
ficultate respirare coguntur, sub diaphragmate, in uentriculi
regione monstrant. Conqueruntur et aegri magis de angustia,
quam de difficili Spiritu, illamque unice tolli uolunt. Accedit
et hoc, quod haec respirandi difficultas, siue potius angustia,
non sit perpetua, ut illa, cuius sedes est in pulmonibus: neque
parem afferat molestiam, sed breuibus interuallis uel cesset, uel
certe remittat: postea tamen uel redeat, uel augetur. Denique
in *Dyspnoea* Scorbutica nulla adest, sicut in pectoris affectibus,
tussis, nullus sibilus, nulla *Orthopnoea*.

Eadem tamen difficilis respiratio, qua de maxime conque-
reruntur Scorbutici, decipit non raro uulgus Medicorum in-
cautum, ut pro *Phtbificis* habeant Scorbuticos: tum praesertim,
cum atrophiam quaedam sese cum Scorbuto coniungit: quae
tamen sine notabili pulmonum labe, et procul *Phtbiseos* suspi-
cione, Scorbuticos afficit: quae tunc demum subest, si qui Scor-
buto diutius laborent. Hi tales enim tam ob chyli, quam san-
guinis uitia, nutritionisque actionem laesam, saepe in Atrophiam
incidunt, ac Marasmm: ita ut carnes prorsus decidant, ac
cutis ualde flaccescens uix cum ossibus cohaereat. Potest Atro-
phia a uariis oriri causis, ut sunt ulcus pulmonis, aut alius ui-

sceris abscessus, Febris praesertim hectica. Veruntamen haec, et complures Atrophiae Phthisticae causae, earundemque uera signa absunt in Scorbuticis. Contra adsunt nota Scorbutici pulsus et urinae uitia, et si qua sunt alia propria Scorbuti signa. Vnde iam patet, nullam adesse ueram Phthisin in Scorbuto, cum Atrophia coniuncto. Ceterum nec id negamus, et supra fassi sumus, posse cum Scorbuto coniungi febres phthicas, hecticasque temporis progressu. Quae praecesserunt, tum quae adlunt, Scorbutum arguunt. Febres attamen hecticas, temporis progressu coniungi supra est dictum.

Nonnunquam Scorbutus cum *Vomitu* societatem coit, saepeque humores, perinde ut in Cholera accidit, cum magnis uentris doloribus torminibusque supra et infra reiiciuntur. At iste Vomitus longe alius est generis, quam Vomitus ille, qui Symptoma male affecti est uentriculi. Nam primo nulla adest uentriculi grauitas, dolor nullus, nullaque intemperies maior, nihilque eorum, quae uerum alioquin uomitum antegredi consueuerunt. Deinde aeger cibos etiam illos, qui difficulter concoquuntur, cum auide appetit, tum facile digerit. Tum Vomitus Scorbuticus nonnunquam casu, praeterque opinionem remittit: uicissim tamen idque de improviso redit. Postremo medicamenta uentriculum corroborantia, tonumque eius firmantia, tantum abest, ut in hoc Vomitus genere opem, leuamentumque afferant, ut potius noxam. Contra ea praesens saepe auxilium a lacte, et lacticiniis, id est iis, quae uomentibus alias aegris incommodant. Quo respexisse mihi uidetur ETTMULLERVS, haec scribens. *Subinde stomachum affligit Scorbutus, unde Vomitus pertinaces oriuntur, non nisi antiscorbuticis curandi:*

Fluor etiam alui, siue *Diarrhoea*, in Scorbuto frequens est, fecibus modo liquidis, modo compactis, utrisque coloris nunc herbacei, nunc uarii, confertim, magna copia eiectis: caput tamen seruat Scorbuti nomen. Differtque Diarrhoea Scorbuti-

ca a Diarrhoea uulgari multis modis. Primum in Diarrhoea uulgari semper feces liquidae, copiosae, uersicolores: in Scorbutica fere compactae, eademque coloris nunc herbacei, mox cinericii. Deinde tam copiosae eliminantur, cibum ut ingestum excedere videantur: sique liquidae fuerint, maiore copia, magisque confertae fluunt, quam in uulgari Diarrhoea. Durat etiam deiectio alui in Diarrhoea Scorbutica noctu aequae, ac interdiu: at in communi fere interdiu. Postremo fluxus alui Scorbuticus ubi ope medica sistitur, tunc aegri mox Ventriculi, hypochondriorumque tumore, dyspnoea, animi etiam deliquio tentari solent: at haec omnia in Diarrhoea uulgari exulare.

Comitatur nonnunquam Scorbutum cruenta alui deiectio plus minus doloribus affligens. Haec ab aliis *Dysenteriae*, ab aliis *Haemorrhoidibus* apertis tribuitur: sed falso. Ceterum uel sua sponte superuenit, uel purgantibus acrioribus prouocatur. Verum enim uero deiectio illa non est a *Dysenteria*, cum nec afferat tormina: nec ab *Haemorrhoidibus*, cum cruor post excreta demum stercora emanet. Erit igitur malum illud, de quo diximus, *Diarrhoea cruenta*, aut *Haemorrhagia* potius intestinorum, dicendum, quam *Dysenteria*, quam *Haemorrhoidum fluxus*. Ab his ceteroquin profluuiis distinguere Symptoma egregie docuit cum HORSTIVS, tum ETTMULLERVS, quorum Virorum monitis hoc uelimus addas, in Scorbuto sanguinem crassum ac feculentum, nullisque permixtum excrementis, aluo egredi: adesse insuper praeter reliquos Scorbuti testes ingentem animi angustiam, et difficilem respirationem. Huius rei memorabile exemplum scriptum reliquit immortale illud Academiae nostrae decus, DAN. SENNERTUS: idemque ille signis *Dysenteriae Scorbuticae* memoratis hoc adiungit signum, quod post talem fluxum cruentum, febris continuae Scorbuticae superuenientem aeger indies quidem meliuscule se habere inceperit: ceterum longe tardius, quam post crises febrium acutarum, malignarum-

rumque fieri solet: nec tamen eundem sanguinis fluorem plenaria morbi solutio fuerit secuta.

Vexat & Scorbuticos interdum *Pleuritis*, sed pariter spuria, a uera non parum differens. Vt enim dolor utrobique sit idem, ut aeger, utrobique, quo se uertat, uersetque, nesciat: tamen in Scorbutica dolor et sine inflammatione est, et non continuus, recurrens per uices. Ad haec nulla tussis, sputique nihil. Pulsus praeterea non durus; sed tenuis, seu paruus, mollis, et inaequalis. Porro Febris, si qua una adest non acuta, sed lenta magis est, nec respiratio denique adeo laesa. Pertinentque huc, quae habet *VILLIUS*: *Novi, plures Scorbuticos dolore molestissimo, subter sternum excitato, perquam diu uexatos, ut in quibusdam nihil magis, quam abscessum, in mediastino latitantem suspicarer; cum reuera Symptoma istud tantum a materia heterogenea, illuc partim a nervis, partimque ab arteriis allata et membranis affixa, ibidemque efferuescente, penderet, quod et euentus saepe comprobauit: nam aegrotantes diuturno remediorum antiscorbuticorum usu liberabantur.*

Est etiam, ubi *Arthritis*, Symptoma Scorbuti, uideatur esse morbus ipse principalis. At enim multum interest inter Arthritidem, Symptoma, et Arthritidem, morbum: multumque diuersa utriusque indicia. Primum enim Arthritis uera locum uix mutat; sed ad exitum morbi membrum illud, quod primo omnium insidere coepit, obsidet: at uero Arthritis ea, quae Scorbutum comitatur nonnunquam, et uaga dicitur, uno non consistit loco, sed modo partem aliam post aliam, modo una opera plures simul afficit, atque ab hisce in plures serpit alias. Deinde Arthritis uaga Scorbutica hoc sibi proprium uendicat, quod leuem plerumque Paralytin habeat comitem, quae efficit, ne membrum affectum loco mouere possint aegri. Haec eadem Paralysis et cum dolore cum abit, tum redit eandem in partem. Tertio inuadit Arthritidis Scorbutica non solum iuncturas articulorum, uerum etiam, idque eodem tempore, muscu-

musculorum partes atrocius infestat. Quarto in uera Arthritide suboriuntur nodi, seu tophi, difficulter curabiles: at iidem in uaga minime emergunt. Tumores quidem et in hac ipsa sunt conspicui, sed facile dissipabiles, imo saepius sponte sua euanescentes. Multa denique alia dicuntur Arthritidis uagae esse propria, qualia sint exempli causa, quod fricatio ope panni calidi dolores breui sopiat, qui tamen mutato loco uicissim emicent; et quod terrestris lumbricus, idemque uiuens loco dolenti accommodatus, certum praebet uagae Arthritidis indicium. Namque is quidem illico exilire, circumgyrari, incuruari, mori, dicitur. Huiusque experimenti causa factum credo, tanta ut uis lumbricis in illius curatione morbi tribueretur. Quo quidem iure, nescio. Dubito enim, an intus assumpti tam certo profligent morbum, quam exterius applicati a morbo profligantur. Ceterum de singulari uagae Arthritidis indole EVGALLENVS, VVIERSVS, HORSTIVS, MOLLENBROCCIUS, data opera plura prodiderunt.

Scorbutus et *Nepbritidem* mentiri solet. Illius enim dolores saepe lumbos, immo dorsi regionem, eandemque nunc imam, nunc summam, infestant. Ita fit, ut Scorbutus Nephriticus ciere uideatur dolores, nulla Nephritidis culpa. Quae res saepe non minus imponit Medicis, quam aegris. Sed licet cum maxime adsit urinae ardor et suppressio, dolorque circa renes, ac perinaeum exquisitissimus: tamen nihil saepe minus, quam Calculus subest. Consentit una mecum ac conspirat ETTMULLERVS: *Conqueruntur, inquit, de angustiis cordis, immo subinde eadem symptomata, quae mulieres hystericae, sustinent, et ut ut cessent nobis dolores nepbritici, tempore tamen extra paroxysmum conqueruntur de doloribus lancinantibus et lacerantibus circa regionem lumborum, donec uariae causae externae euigilantes parotidem inferant.*

Minus autem uidentur peccare, si qui Scorbutum cum *Malo hypochondriaco* confundunt. Nec enim dissentientes reperiunt

pragmaticorum Medicorum plerosque omnes, eos praesertim, qui cum ETTMULLERO et BARBETTIO utrumque uno eodemque capite describunt morbum. Atque sunt sane duo hi affectus ualde cognati, usque adeo, ut Hypochondriacum raro inuenias, quin simul sit Scorbuticus. Vnde et morbi sororii hi duo appellantur morbi, et Scorbutus tantum non ipsa labis hypochondriacae proles. At enim uero ne credamus, nec summum mali Hypochondriaci gradum esse Scorbutum, ut multis persuasum est, neque congeneres adeo affectus esse Scorbutum, et illud ab hypochondriis dictum malum, multa suadent. Concesserim in Scorbuto, quem uocant frigidum, raro abesse Hypochondriacum malum: sed tamen quosdam Scorbuticos, quos hilares uocat VVALDSCHMIDIVS, Passione hypochondriorum non affectos esse, idem ego affirmauerim. Audiamus hanc ipsam in sententiam KOELESERIVM: *Homines, inquit, tota uita ualetudinarios, praememoratis alterationibus subinde obnoxios, Medici Hypochondriacos appellant, quos tamen a totius massae sanguineae acredine Scorbuticos, quam a peculiari uasorum lymphaticorum in hypochondriis obstructione Hypochondriacos, rectius uocaueris, quorum etiam mille symptomata nunquam feliciter curaueris, nisi per acridinem euertentia, temperantia, alcalina, tam fixa quam uolatilia, & spiritus uolatiles balsamicos: qualem etiam curationem ipsa dicitur natura.*

Quid? Scorbuticorum maculae uel ipso cum Ephialte confunduntur, aut potius cum uestigiis ita dicti Ephialtae pro una eademque re habentur: sed ita, ut, quod fecerit Scorbutus, ipse Ephialtes patrasse existimetur. Ego uero sic habeo, omnes quas uel ab Incubo, uel a spectrorum plagis ortas credunt creduli maculas, non alias esse, quam scorbuticas. Mira sane res, tam subito uarios colores in cute et erumpere, et dissipari, et uiscidiori etiam glutini humorum intertextos diu satis, si non semper, durare. Inprimis autem post dolores mordicantes, quos hinc inde Scorbutici sentiunt, nonnunquam elapsis duobus, tribusue

tribusue diebus, sequuntur maculae, quas uocant *die Nacht-Griffe* / idque propter uestigia digitorum, quibus quasi prehensi uidentur aegri. Silesii *Uly-Flecke* nominant. De coeruleis ceteroquin, liuidisque Scorbuticorum notis constat, ire saepius et redire: saepe etiam, id quod in Batavia est frequentissimum, perpetuas esse Scorbuti comites. Inde et illud morbi genus, quod copiosis eius generis maculis abundat, *Blaunshuit* uocatur Belgis. Datur tamen praeterea et saepenumero subliuida quaedam, obscuriorue nota, ab unius profecta noctis fermentatione, uirore utcunque uariegate, non tam in Scorbuto ipso, quam in scorbutica febrium metastasi, quam Saxones *tristiferalique* nomine, *Dodtfneey* appellant, quasi uel strix nocturna, uel infestum homini animal intulisset. Si quis igitur haec omnia a morbis oriri posse intelligit: si quis nouit, quam plures Scorbuticorum esse Hypochondriacos, id est phantasticarum opinionum plenos: si quis denique non ignorat, non esse spectrorum, alapis, colaphisque pugnare, is anilibus fabulis ac deliramentis assensum facile non praebabit.

Interea dum Scorbutus tyrannidem suam exercet, magna oritur imbecillitas, totumque infirmatur corpus, in cruribus praecipue, quorum languidae compages fiunt, sic, ut aegrotus crura interdum tremat, ut uacillet titubetque, ut nec raro sonoros articulorum fragores edat. Atque id quidem mali *Σκελοτύρβη* salutatur. Videri dicas, possit esse *Paralysis*: sed multum ab ea differt. Remanet in Scelotyrbicis motus ut plurimum aliquis, quo praediti membra, quasi resoluta, mouere, atque ad musculorum capita alleuare, possunt. Saepe et accidit, ut, qui pridie pedem uix loco mouere potuerit, is cruribus insistat hodie, leuique nixus adminiculo incedat: paulo post uero uicissim omni destituatur motu. Ceterum subito non inuadit, sed initio paullatim quasi tentat, donec penitus corripit. Stupor item, mali imminentis praenunciatus, non fixus atque diuturnus, sed momentaneus est, nunc remittens, nunc subito apprehen-

dens. Tandem uero *σκελοτύρβη* facilius, quam Paralytis, e medio tollitur.

Conuulsiones praeterea totius corporis, aut *conuulsui* potius *motus*, et *Epilepsia* Scorbuto accidunt, quibus Febris plerumque coniungitur. Veniunt et redeunt: recurrunt eadem facilitate, quaprehendunt. Talesque *Conuulsiones* uel antecedit totius corporis concussio, aut tremor, aut paralytis; uel brachiorum manuumque rigor quidam. Eaedem tamen et breui tempore et sine ulla saepe euidente causa subito alium in morbum, nominatim *Cataphoram*, *Paralysin*, eandemque modo euanescentem, modo de improviso redeuntem, conuertuntur. Quae signa omnia cum urina turbida, ac crassa, *Conuulsionis* scorbuticae propria, *Conuulsionem* hanc, ab antiquis descripta, satis discernunt. Si quae uero particulares Scorbutum *conuulsiones* comitantur, eae modo Febrim carent, modo Febrim produunt, modo a grauisimis oriuntur doloribus. Est et, ubi tristis membrorum omnium accedit iactatio, concussioque, leui mixta eorum resolutione. Quod ubi fit, tunc et pulsus nunc magnus est, nunc durus, nunc uicissim, pauloque post, mollis, plerumque autem inaequalis: et urina inconstans. Saepe etiam membrorum imbecillitas tanta paulatim sumit incrementa, ut et crura plane rigescant, et tali ad poplites retrahantur. Quid? quod aliquando tantopere inualescat id mali, ut aegro omnium membrorum, articulorumque interdicit usu, illis in orbem quasi contractis. Tantamque *Conuulsionis* uim et nautas imprimis perpeti, et inde non tam *conuulsos*, quam *contractos* appellari, auctor est *EVGALENVS*. *SALOMO* autem *ALBERTVS* scribit, nonnullis cardinem oris, in quo gena inferior sub uia audiendi uertatur, non aliter obrigescere, quam compago soleat genuum: ita uero os conuiuere strictius, quam ut rite queat dispani. Ceterum haec talia sicubi eueniunt, fit, ut aegri pro fascinatis habeantur, *Sie wären beheyrt / sie wären frum und lahm gehert / praesertim tunc, cum alia Scorbuti symptomata insolita accedunt,*

dunt, qualium nonnulla uide sis apud SENNERTVM, ETMULLERVM, WILLISIVM. Horum faciunt haec uerba BARBETTII: *Conuulsio & Contractio mire inuadit aegros Scorbuticos, ita ut adstantes saepius existiment, a ueneficis per incantationem hunc morbum esse conciliatum.* Ne uero in talem errorem incidas, cauebis facile, si tantorum causas malorum perquisieris rectius. Hoc facto apparebit, non tam a malo genio, quam a morbo obsessos esse Scorbuticos.

Ita uero, dum satis nunc, opinor, intelligis, uix aliquem morbum existere, qui non sub Scorbuti lateat pallio; dum uides, quantus sit Proteus omnes formas assumere natus; dum cernis, quot lateant sub hac herba angues: simul animaduertis, quantopere cauendum sit, ne tanta Scorbuti progenies cum plurimorum morborum colluue confundatur. Quod fieri interest cum existimationis, tum artis, Medici. Turpe est Medicum affectiones non satis distinguere: frustra est sine tali notitia salutarem morbo ferre opem. Alia ratio affectus, per se affligentis: alia eius, qui est ἐπιγενόμενος: diuersa utriusque medela. Paralysis certe, Conuulsio, pluresque alii id genus morbi, ad cerebrum, neruofumque genus pertinentes si per se corpus afficiunt, plus dant negotii, possuntque remedia ad cerebrum, medullam spinalem, neruosque, a quorum omnium pendent labe, sanandos accommodari: e contrario autem cum pathemata isthaec non idiopathice nocent, a Scorbuto inducta, tunc minus afferunt periculum, faciliusque profligantur, licet uel frequentissime insultent. Profligantur enim uero remediis antiscorbuticis, et iis, quae sanguinem ad iustam reducant crasin: nec adeo iis habent opus, quae cerebro, neruosoque generi succurrunt. Antiscorbutica, inquam, utramque hoc loco absoluunt paginam, sine quibus nunquam medeberis Scorbuti symptomatibus, cum in sanando ad causam, principemque morbum, maxime sit respiciendum.

CAVTIO II.

Caue, signorum scorbuticorum uni tantummodo, itemque alteri, fidas.

Diximus, quantopere suis saepe symptomatibus Scorbutus fallat: quantum suis ipsius pariter fallat signis, nunc dicemus. Falluntur ii insigniter, si qui uel copiosas, id quod ET TMVLLERVS censuit, arenulas rubras, facile friabiles, matulae fundum & latera incrustantes, sine aegri siti: uel cum EVGALENO subitaneum, forteque fortuna morbo superueniens animi deliquium: uel de sententia WILLISII, et DOLAEI, maculas subliuidas in brachiis, cruribus, aliisque corporis partibus erumpentes, itendidemque disparentes, locumue mutantes: uel quemadmodum alii sibi persuasum habent, Stomacacem, orisque foetorem, pro pathognomonico, certissimo, et nunquam fallente, habent Scorbuti signo. Ostendit et Hypochondriacorum, Calculosorumque matula arenulas. Sunt animi deliquia, suntque exanthemata et aliis affectionum generibus communia. Quod autem gingivae facile sanguinem reddant, id semper pro Scorbuti signo certiore haberi minime debet. Possunt conformationis uitio uasa sanguifera ita uel prominere, uel leuiter hiare in superficie gingiuarum, ut uel leuiter contacta sanguinem fundant. Oris autem foetor tantum abest, ut Scorbutum certo indicet, ut potius incertissimum Scorbuti signum sit dicendus, quoniam uentriculus aequae ac carioli dentes, ac ciborum inter dentium interstitia computrescentium reliquiae, tam foetidam spirare facere possunt animam, quam ipse noster Scorbutus. His motus causis VROLINGHIUS ad euitandam omnem confusionem determinare quidem est conatus, quid oleant Scorbutici, quando sic scripsit: Denn wenn der Mensch anfängt zu schimmeln / so ist sein erstes und vornehmstes Zeichen / daß ihm sein Athem sehr übel und garstig anfänget zu stincken. Nun ist zwar der Gestanck bey allen Menschen

Menschen / und zu allen Zeiten gar gemeine / dieweil Niemand ohne Gestanck seyn / oder leben kan / in Ansehung der ganze Mensch nichts ist / als ein stinckender Pfuhl / voll Stances und Unflaths ; allein derjenige Gestanck / welcher ein Vorbote des Schimmeln zu seyn pfleget / ist ganz ein anderer Gestanck / als der gemeine stinckende Athem / der allen Menschen gemein ist / sondern es ist ganz ein schimmlichter Geruch / welcher von andern Gestancke gar wohl zu unterscheiden ist / von demjenigen / der ihn kenneet. Verum nec ita ab errore omni in iudicando immunes nos esse posse , mox fatetur ipse , quando haec subiicit: Wiewohl er auch vielmahls durch einen andern Geruch / oder Gestanck also verfälschet werden kan / daß er bald nicht einmahl zu erkennen ist / da er doch sonst wenn er allein ist / erkenntlich / und empfindlich genug zu seyn pfleget. Aber durch Toback = Stanck / durch den Gestanck aus einem hohlen Zahne / durch den Gestanck / der aus den Magen a part und ordinar kommt / wird er vielmahls so verfälscht / daß er nicht wohl allein kan unterschieden werden ; denn die schimmlichte Luft entstehet allein aus einem garstigstinckenden bösen Dampfe / welcher aus dem Magen aufwärts dringet / und zum Munde heraus gehet / der vielmahls / und sonderlich des Nachts den Mund sehr schlüpfrig und schleimich machet / und sehr dicke und treuge ansetzet / mit einem sehr unangenehmen Geruche / welcher des Menschen Unflathe nicht ungleich ist. Diese übele Luft ist allein der erste / und vornemste Vorbothe und Anweisung der Schimmelung. Und dieses giebt uns zu erkennen / daß der Magen von solchen schimmlichen Wesen ganz durchgangen und eingenommen ist : ja auch dergestalt / daß dessent durchgedrungenen Gestanck biß in die Lunge penetrirret / die sich bey der Athemholung beweget. Pariter nec totius corporis grauitas et spontanea lassitudo , ad quam multi praecipue attendere iubent , sola sufficit , cum et haec Scorbuto cum aliis morbis sit communis. Quare non ad unum tantum , aut ad unum itemque alterum , symptoma respiciat Medicus ; sed totam symptomatum et signorum syndromen uno intuitu diligenter consideret ,

cum pathognomonicum signum aliquod, quod soli et omni Scorbuto semper conueniat, non reperiatur, in morbi praesertim initio. Nam hoc tempore, licet neque crura pingantur maculis, neque gingivae corrumpantur, neque uacillent dentes, de Scorbuti absentia nequaquam iudicare possumus. Haec enim omnia non, nisi Scorbuti ingrauescentis, signa sunt, potestque homo eo malo affectus esse, tametsi nihil appareat illorum: potest et mori ante ex eodem, quam uel gingivae exulcerentur, uel maculae ex cruribus emergant. Nec enim eadem Scorbuti in aegris omnibus apparent symptomata, et aliis dentes, et gingivae tantummodo afficiuntur, partibus inferioribus saluis: aliis horum eueniunt aduersa: aliis nullae erumpunt maculae: aliis tota colore crura uiolaceo pinguntur. Ex quo intelligamus, licet, utut morbus in incremento latere facile non queat: eum tamen ex uno, aut uno, itemque altero signo nunquam cognosci satis posse. Miror hinc ETTMULLERVM, scribere non ueritum, unicum pruriginosam purpuram certum esse Scorbuti latentis signum: contraque sequendos censeo illos, qui et ad temperiem, indolemue aegrorum, et ad uitae genus, et ad uictus rationem, et ad aerem, in quo uixerint, et ad parentes, quibus nati sint Scorbutici, attendi, plurimis collatis inter se symptomatibus, iubent.

CAVTIO III.

Caue, Scorbutum temere crepes.

Saepe solet euenire, ut illud, quod nec Scorbutus est ipse, nec Scorbuto quidem affine, Scorbutus esse et uideatur, et dicatur. Quod uicium permultis Pragmaticorum per est frequens ac sole-mne. In hisce reperias, qui Scorbutum cum quouis coniunctum morbo clamitent: reperias, qui cum morbum suo induere nomine nesciant, in fontem accusent Scorbutum: reperias, qui omnes senio confectos, extinctosque, ex Scorbuto mortuos contendant: immo et reperias, qui Scorbutum cunctis infestum hominibus arbitren-

arbitrentur. Negas, haec uera esse? Faciemus dictis fidem. ETTMULLERVS sane ipse, utut disertis fateatur uerbis, Scorbutum non tam frequentem esse morbum, quam uulgo haberi soleat, pollicem hoc ipso premens SYDENHAMIO, inuecto in eos, quibus in morbis uel minus cognitis, uel nondum satis confirmatis, pallium esse Scorbutus fueuerit: attamen idem ille simul affirmare audet, in quocunque aegro uaga admodum atque uaria notentur symptomata, in eodem latere Scorbutum. Quid SENNERTVS ipse? Is ipse idem illud, quod ETTMULLERVS, contendit. Namque: *Si, inquit, in regione aliqua cui Scorbutus familiaris est, occurrat aliquis morbus rarus, aut, qui cum descriptione et signis, quae in antiquorum libris exstant, non satis congruit, Scorbutum sub schemate et specie alterius morbi latere, suspicandum.* Quod si qua fides habenda BARBETTIO, dicendum, nostris adeo familiarem regionibus Scorbutum esse, ut nullus fere morbus, cui non aliquid Scorbuti admixtum sit, reperiatur. Hinc, qui idem cum ipso sentiunt, Clinici Medici, medicamentis omnibus antiscorbutica esse miscenda, quo facilius feliciusque pellantur morbi, statutum habent. Hoc autem latius DOLAEVS uidetur errare, quo latius Scorbuti spargit nomen. Operae fuerit pretium eum audire ipsum. Sic autem: *Et uero, inquit, nemo hominum, laute uiuentium a Scorbutu plane immunis uiuit, si nempe quaeuis Dyscrasia sanguinis Scorbutus uocitetur: Prout Beatus BONTEKOE non absque ratione omnes fere morbos Scorbuti nomine comprehendit: cum omnes causam in sanguine agnoscant uarie alterato, ut plurimum, quoad texturam, uel compositionem uitiato.* Idem uero DOLAEVS: *Certum est, ait, per ultimos aliquot annos adeo in deterius cessisse statum massae sanguineae, ac uiscerum successiue adeo esse immutatum, et salia ista adeo exaltata, ut quilibet homo in his regionibus uexetur Scorbutu, et nemo fere hodie ab eo plane immunis existat, idque ob magis magisque auctam apud tantum non omnes homines putredinem Scorbuticam.* Idem denique ille inquit: *Omnes, qui ex senio moriuntur, moriuntur etiam ex Scorbutu.* Verum enim uero quam maxime, nostro

quidem iudicio, cauendum nobis ab eiusmodi iudiciis, utpote quae insufficientem signorum, et historiae morborum cognitionem arguunt, neglectamque morborum complicatorum ostendunt dignotionem, et insignem inter aegritudines pariunt confusio- nem, et reuera inscitiae insignis locupletes existunt testes. Et hoc ipsum animaduertens WILLISIVS acriter admodum pungit, notatque eos, quibus Scorbutus est ignorantiae asyllum, his uerbis: *Immo, inquit, si accidens quoddam inusitatum, nec prius auditum, in corpore humano eueniat, cum ad aliud certum morbi genus referri nequit, sine dubio statim illud scorbuticum pronunciamus. Adeo hic morbus, quasi mali ominis, et damnati instar, pathemata aliena luit.*

CAVTIO IV.

Caue, ne uel urina, uel pulsus, uel sanguis Scorbuticorum, imponat.

Solemus alioquin hisce potissimum ex rebus tam de praesenti, quam de futuro aegri statu nostrum ferre iudicium. Atque non exiguum signa isthaec ad assequendam Scorbuti uel prognosin uel diagnosin momentum afferunt, modo caute satis, satisque circumspecte iis utare.

Primo quidem *urina*, si ETTMULLERO credas, est indicium Scorbuti non fallens: arina autem tenui tecta pelle, caudae pauonis, iridisue colores referente elegantissimos: urina, pingens uitrum colore subcoeruleo, praetereaue tali, quae uix ac ne uix quidem extergi possit. Sed tamen et urina lucida, urina nimium rubens, urina denique ad lixiuii colorem accedens, certum Scorbuti indicium habetur, si tamen nec febris, nec sitis, nec oris denique adsit siccitas. Nec enim audiendus est H. REVSNERVS, qui Scorbuticis urinas asserit tenues, ac pallentes, raroque, aut nunquam rubicundas. Cum seruiit uir iste suae hypothese, tum etiam iis in locis uixit, in quibus Scorbutus illo tempore innotuerat nondum. Ceterum et Febribus, et Ictero, et Scorbuto

rubentes, fuscae, lixiuiosaeque sunt urinae familiares. Ex quo intelligas, quam cautus debeat esse Medicus in ferendo de huiusmodi urinis iudicio. Sed et praeter colores quiddam, pinguedini simile, urinae supernatans, ocellique oleum mentientes, ac in urinae superficie fluctuantes, nonnunquam sunt Scorbuti testes. Testes, inquam, Scorbuti, non uel Tabis cuiusdam, uel Hecticae, quibus uere pingues urinae alioquin tribuuntur. De qua scorbuticae urinae pinguedine addo, falsum cremorem esse, qui eius tegat superficiem. Omnem autem intensiorem urinarum Scorbuticarum colorem salibus uindicandum esse, uult RIVERIUS: necque id iniuria. Nam uel ex unius urina Scorbutici, spatio trimestri, plus, quam unam salis libram fixi, eiusdemque tartaro uini non dissimilis, DOLAEVS collegit saepe. Quid mirum igitur, si uel in superficie urinarum Scorbuticarum salia sese sub quacunque exhibeant forma. Eadem iam urinarum salia, Scorbuti propria, facile decipiunt incautos, ut prorsus, atque omnino sibi persuadeant, aegros Calculo, aut Nephritide diuexari. Saepe enim corpuscula et rotunda, et alba quam plurima, eademque arenis, fractaeue polentae similia, in urina subsidunt, non nisi uehementiori matulae eleuandae fundo: saepe item matulae ad parietes rubicundae moles adhaerescunt copiose, arenulas calculosue quodammodo mentientes: denique saepe tertia quartaue matulae pars comprehendit materiam tartaream, mucosam, falsam. Haec omnia mouent uulgo incauto suspicionem siue calculi, siue uesicae ulceratae. Alia fraus urinae, si quando ipsa uel rubra supra modum, uel et nigricans. Talis et cruenta uideri potest, siue a uesica, siue a renibus, calculo laesis, profecta. Sed enim potest urina esse turbida, esse fusca, esse plena mole tartari, nulla calculi culpa, saluisque uesica, ac renibus. Etsi enim id negari non potest, quod materia sabulosa, arenosa, tartarea, calculosa, ad renes frequentius confluens, parte alia post aliam deposita, tandem calculum procreet: tamen simpliciter adeo dici non debet, abs tali semper oriri saburra humani lapidem corporis, si et contingat uel maxime, ut ea ex cau-

fa supprimatur obscoenus liquor: si quisquam enim morbus, profecto Scorbutus, proiectis in medium fallentibus signis, calculum egregie, callideque mentitur. Quae quo pateat, noscaturque fallacia, hoc faciendum, ut Scorbuti, Calculique argumenta inter sese conferantur omnia. Nec subdolae modo Scorbuticae urinae; uerum, mutabiles etiam in horas. Immo et malignae adeo sunt nonnunquam, ut sanis genuinae urinis uideantur, et uel hoc nomine considerandae diligentius. Deceptus specie eiusmodi urinarum RIEDLINVS monet omnes, ne quid de aegri iudicare statu ex urina, nisi praemisissis quaestionibus necessariis, conentur. Arcesit quidem WILLISIVS certiores Scorbuti, quam affectionum aliarum a matula diagnosin: at de urina id tantum intelligendum, impense rubicunda, quasique lixiuiosa. Ea uero, nisi uel Febris praesto sit, uel Icterus, non dubium Scorbuti argumentum. Actum usque huc de diagnosi ex urinis fallaci. Eodem habenda loco prognosis Scorbuti ex urinis. Qua in parte breue faciam, uel tribus, quicquid de urinis uidetur praeterea monendum, moniturus uerbis. Sicut urinae sanis simillimae Medicos in spem erigere nullam: ita nec pessimae spe deiicere debent, cum uel nigerrimae, atramentoque consimiles, teste VALLERIO, fere usque quaque commodo aegrorum reddantur. Tantumque de urinis.

De *Pulsu* iam monendum habeo, esse fallacem perinde, ac urinam. Est Scorbuticorum pulsus uarius, modoque debilis et inaequalis, modo uermicularis ac repens. Qualem secum reputans EVGALENVS existimauit, Italum Medicum, sicubi contigerit in Scorbuticum incidere, miraturum, qui tali cum pulsu homo non solum uiuere, sed et obambulare, et domi sua possit obire officia, cum tamen iis, qui scorbuticos curarint, notum sit, pulsum debilem in Scorbuto non aequae, ac in aliis quibusdam affectibus, periculosum esse. Non est igitur, ut scorbuticorum pulsibus terreantur, qui faciunt medicinam. Est enim, ut cum ETMULLERO loquar, mos Scorbuti, tetros pulsus uegeto adhuc corpore inducere. Quam uero eximie Febres nonnunquam mentiri soleant Scorbuticorum pulsus

pulsus, et quomodo cauendum, ne hac quoque in parte erremus, supra dictum iam abunde.

De *Sanguine* Scorbuticorum praecipio, ut ab huius facie sibi caueant Medici, ne ea fallat imprudentes. Nec enim solus eorum sanguis, uena secta emissus, parte superiore pituitam, quasi pellem, ostendit; sed et illorum, qui patiuntur inflammationes. Horum et ipsorum cruor in pelui frigesens, pellem satis crassam subiicit oculis. Ne proinde simili utrorumque aegrorum sanguine decipiaris, peropus est, ut reliqua pariter utriusque affectionis signa inter sese contendas: quanquam et in ipsomet aegrorum sanguine discrimen quoddam, si accurate attendas, reperiatur. Nam sanguinis, uena emissi, operculum in Inflammatione apparet album, durum, rigidum, instar corii fere porcini: at in Scorbuto mucus flauescens, aut uirescens conspicitur.

CAVTIO V.

In Scorbuti Prognosi efformanda cautissimum esse Medicum oportet.

Ipsissima haec sunt SORBAITTI uerba, quibus serio monet pragmaticos Medicos, ut caueant, ne praesidio illo, quo sese aduersus calumnias unice munire possint, prognosi puta, debite formata, excidant. Consentiant cum eo tantum non omnes, qui de Scorbuto tradiderunt, ita, ut ex eorum Commentariis Concordantiae, ut ita dixerim, compilari facile queant. Ita in hanc sententiam haec scribit BARBETTE. *In Scorbuto iudicia non sint temeraria, plures enim, pro desperatis habiti, et symptomatibus grauisimis et urgentissimis affecti, conualuerunt.* In eandem plane sententiam SENNERTVS: *In prognostico, inquit, instituendo Medicus cautus sit. et omnes facultates principes, earumque laesiones, diligenter perpendat.* In eandem ETTMULLERVS: *Hoc tamen inquit, circa prognosin Scorbuti adhuc notetur, illam caute esse applicandam, cum plurimi, pro desperatis habiti, reconualescant. E contra,*

*et si Symptomata mitiora uideantur, si abdominis uiscera indurata, et pulmones corrumpi incipiant, uix successus laudabilis promitti poterit. Porroque in eandem WILLISIVS: Cum in affectione, inquit, Scorbutica, simul plura, ac interdum ualde tetra et horrenda symptomata urgere solent, prognosticon a medico expectatur. Immo ipse, quo melius medendi methodum instituat, qualis morbi euentus futurus sit, sedulo perpendat. Attamen iudicia in hoc casu sint cauta, diu suspensa, ac minime temeraria. Plures enim, uti nostrae obseruationi constitit, pro desperatis habiti, conualuerunt. Vidi, quos frequens, et horrendum Asthma iam iam suffocare uideretur, alios, a crebra Leiptothymia, continuo moribundos, quin et alios, aut Paralyti, aut paroxysmis conuulsuis, aut Colica grauisima tentatos, intra breue spatium, medicamentorum ope, prorsus liberatos. Noui quosdam Scorbuticos, ab Hydrope per totum corpus intumefactos, alios atrophia in extremam maciem redactos, denuo ad perfectam sanitatem restitutos. Quamuis igitur hoc morbo laborantes interdum affectibus summe periculosos urgeantur, si tamen adhuc uiscera mediocriter sana, aut saltem non multum uitiata fuerint, de malis istis, propter meram Scorbuti labem excitatis, minime desperetur. E contra autem, quando symptomata minus terribilia apparent, si hypochondriorum, et abdominis contenta obdurata, et uelut scirrhusa euaserint, aut si pulmones corrumpi inceperint, circa morbi sanationem, nihil ingens, aut benignum promittatur. In casibus uero nondum deploratis, ubi spes ualeitudinis recuperandae relinquitur, aut saltem mortis subitae metus longe abest, si forsitan quaestio fiat, quam cito, aut tarde, facile, difficulter therapeia succedat, huiusmodi criteriis insistatur. RIEDLINVS autem sic scribit: Prudens Medicus, nisi prognostico egregie munitus, Scorbuti curam nunquam aggrediatur. Saepe namque, dum iam iam deuictus uidetur morbus, is de novo repullulat, et pristinam tragoediam agit. His praepositis progredimur ad ea, ad quae sigillatim attendi attinet. Ac possunt illa secundum uerbum illud: *Nec timide, nec tumide* ad duas reuocari classes, quarum prima ea complectatur, quae non*

non adeo metuenda sunt, licet periculosa esse uideantur: altera contineat ea, quae, licet leuiora uideantur, minime sunt floccipendenda.

Solet alioquin pulsus debilis nihil boni promittere, sed fere semper mali aliquid portendere. Est autem in hac affectione pulsus ut plurimum ualde debilis, languidus, et minutus, usque adeo, ut Medicis, mali huiusce non satis gnaris, mirum, id quod supra monuimus, uideri possit, hominem spirare ac uiuere. Veruntamen ex eo quidem signo aegri mortem augurari non licet. Nec enim illud morbi lethalis, sed morbi, peculiari modo cordis contractioni aduersantis, signum est. Namque ut SENNERTI utar uerbis, uitali cordis facultati, ut et neruoso generi aduersam qualitatem habet colluies scorbutica, unde illae cordis anxietates, conuulsiui motus, paralytis, dolores uarii et similes affectus Scorbuto adeo sunt familiares. Tantum de pulsu, praeter quem nec familiares maculae in Scorbuto, sunt exhorrescendae. Paruipendas, nisi uel eleuatae sint, uel in ulcera degenerauerint. At multi tamen nescio quid mali metuunt moris. Tantum uero abest, ut aliquid portendant mali, ut multum boni indicent, massaeque sanguinae sese depurantis indicium praebeant. Sunt enim maculae scorbuticae, quae hinc inde tingunt corpus, nihil aliud, quam particulae sanguinis corruptae, quae ab reliquo cruore, ope circumeuntis sanguinis separatae, passim sub cute tantisper defiguntur, dum progressu temporis insensibiliter exspirant. Insensibiliter, inquam. Non subito illae pereunt; sed, si cito disparent, materiae peccantis, in sanguinem se regurgitantis, sunt indicium: saepe et interitus. Eaedem uero si durant diutius, sique rutilant, sique sunt ampliores, tunc non solum omni carent periculo; sed etiam, quemadmodum ETTMULLERVS censeat, semper sunt signum malignae materiae, foras erumpentis. Porro nec deliria Scorbuticorum melancholica te perturbent. Haec enim ut cito fiunt, sic cito pereunt. Illud uero longe est certissimum, Scorbuticos melancholicos curari difficilius,

quam hilares. Nam est illis sanguis et crassior, et feculentior: his cum tenuior, tum fluidior. Tum, si quando uacillent scorbuticis dentes, nullum a casu periculum, neque adeo imperanda extractio. Licet enim in Stomacace dentium connexio ita soluatur, ut nutare ii incipiant, nulloque negotio ex alueolis suis eximi possint: attamen, quam cito dentium isthaec uacillatio oritur, tam cito saepe euanescit. Compertum est, una nocte coepisse uacillare omnes: at altero post die tenaciter alueolis inhaesisse suis. Causam si quaeras, dicam esse uarium scorbutici humoris accessum, recessumque. De respiratione difficili, pectoris angustiis, cordisque palpitatione non consentiunt Medici. Alii has rident affectiones: alii non contemnendas ducunt. Illius generis est WALDSCHMIDIUS, respirationem ratus difficilem, et palpitationem cordis non esse adeo periculosam; nec esse mali signum moris. Oriri enim a scorbutico, facultati uitali infesto: inprimisque tunc signum esse periculi expers, si per consensum, ut aiunt, oriatur: quam rem euenire saepe Scorbuticis febricitantibus. Quicum facit BARBETTE, in ea uersatus opinione, quasi difficilis respiratio non tam periculosum sit malum, quam errore uulgi credatur: aequae enim ac palpitatio soleat cordis, eam non oriri, nisi acribus a uaporibus, flatibusque. Contra ea contendunt alii, scorbuticos eos, quibus grauis sit respiratio, cum magna quidam pectoris angustia, aut palpitatione cordis coniuncta, saepe praeter opinionem ex syncope perire. Auctorem habent SENNERTVM, cuius adscribam uerba: *Respiratio, inquit, difficilis, et pectoris angustia, periculosum malum est, ob quam, si et Medicus, et adstantes suum officium non faciunt, saepe aegri Syncope praeter expectationem pereunt. Si uero natura fortior morbum diutius tolerare possit, plerumque in Hydropem aegri incidunt, praecipue ii, qui catharticis fortioribus saepe utuntur.* Conciliari tamen dissentientes inter se possunt facile, si dixeris, tunc demum male ominantem malorum efformari horum prognosin posse, cum per essentiam, ut

Medici loquuntur, affligunt, cumque uiscerum scirrhus, et cordis, uasorumque maiorum polypos pro fundamento habent. Tunc enim id euenire potest, quod DODONAEVS de Islandis, Scorbuto affectis, memorat, mensae asidentes, aut res agentes, repente concidere, ac mori. Ceterum non adeo ancipitem, lethalemue esse morbi euentum, sicubi eae, quas memorauimus, circumstantiae absint, quilibet, opinor, facile iudicabit. Restat, ut exponamus de cautione ab iis, quae leuioris esse momenti uideri possint. Primo principiis, ut alibi, ita hic obstandum, eoque cauendum, ne malum initio negligatur. Recens enim idoneis facile cedit remediis, et uel sola saepe diaeta, aerisque mutatione perdomatur. At, ubi uel, incrementa cepit, uel inueterauit, tunc nihil contumacius. Ergo ueniendum, ergo occursandum in tempore. *Fronte capillata est, postica occasio calua.* De nostra quidem sententia cum malum inualuit, firmasque radices egit, fieri uix poterit, ut aeger prorsus, atque omnino restituatur. Causa, cur ita sentiamus, haec est, partim quod malum per se et pertinax, et graue est; partim quod maxime huc saepius incumbendum, ut neglecta causa continente, amoueantur symptomata; partim quod scorbutici uix ac ne uix quidem iustam seruent diaetam, praetereaue assiduum medicinae usum, qualem Scorbutus in primis ueteranus postulat, fere respuant. Egregie hanc in sententiam PECHLINVS: *Plurimorum, inquit, morborum foecunda et mater, et soror, Scorbutus, aegros, et Medicos mirifice haecenus exercet, uixdum inuento remedio, quod in illa ingluuie, assuetaque corporis intemperie certam praestet, ac non decepturam sanationem, redeunte plerumque ad ingenium affectu semel inueterato.* Caue deinde promittas scorbuticurationem, si scieris, scirrhusa esse uiscera Scorbuticorum. Nam ubi uel haec induruerint, aut tumoribus scatuerint, uel pulmones ulcus conceperint, ibi tum spes salutis nulla. Tunc ergo quid facto opus. *Rem DEO committe, et consule tuae famae,* ut Medicorum princeps Latinorum praecepit. Ultra uero progredior, uoloque, si animo linquantur aegri nostri, ne id negligent Medici. Quot aegros tale deliquium sustulit.

dio? Moneo amplius, neque ioculariam putandam scorbuticorum Diarrhoeam, neque Lienteriam. Vtraque enim et curatur difficulter, et longo temporis tractu affectos conficit, et Hydrope, aut Tabe lethali terminatur. Quid iam de aegrorum dicam doloribus uentris? Neque hi pro nihilo ducendi. Nam et omnes superant uel dolores Colicos, et EVGALENO si credimus, faeuunt nonnunquam adeo, ut uel ipsum peritoneum inde rumpatur. Dysenteria tamen rarius laborant scorbutici. Quod si qua superuenerit, acerbior praesertim, et diutina, mortem affert, intestinis ab humorum mordacitate inducto cancro. Solent alioquin Diarrhoeae, et Vomitus, morbis superuenientes, salutare esse; sed caue putes esse Scorbuto. Etenim uomitus, uitiosorumque humorum superiores, inferioresque reiectiones adeo non iuuant nostros, ut auctis intestinorum uentrisque torminibus, longa conficiant mora, ut ipsa loquitur experientia. Leue alioquin malum Erysipelas: at graue, in Scorbuticis. Eo uero tractandum hic cautius, ut ne in ulcus degeneret malignum. Demum addo, ne leuissima quidem ulcuscula contemnenda esse. Nam et illa ipsa aegre sanantur, idque ob summam humorum acredinem, partes exulceratas profundius erodentem; praetereaque ideo, quod frequentissime in Gangraenam degenerare solent.

CAVTIO VI.

Caue, putes, in Scorbuto semper peccare unius eiusdemque generis acrimoniam.

Quam cautionem si neglexeris, frustra quaeuis erunt saepe antiscorbutica. Quae ut uaria sunt admodum, ita pro uaria materiae indole scorbuticae propinanda, sed de his inferius. Cautionem ipsam multi habent insuper. Vulgus empiricum uno, eodemque Scorbuto omnem metitur modulo: Medicorum autem non rudium alii sali fixo acri imperium uindicant; alii pro sale alkali uolatili, paulumque uiscido acriter propugnant; alii cacochymiam falsam, seu muriaticam; alii lympham bilem-

acculant. Varia tamen Scorbuti materia: hinc et cuiusque speciale nomen. Neque enim generale datur, idemque omni Scorbuti materiae accommodatum, nisi cum PECHLINO uiscidam falsuginem dicere uelis. Interea et haec ipsa cum uariis uariare potest modis: tum etiam uariat. Si qui enim laborant Scorbuto, ii quidem tam afficiuntur multifariam, usque adeo, ut, an ab eadem origine descenderit malum, dubitare possis. Audi hac de re DOLAEVM, Is ita. *In massa sanguinea latent multae particulae uel acidae, uel muriaticae acidae, quando sanguis scilicet crassior, et nigricantior apparet; muriaticae uero, ubi consistentia amissa tota diffluit. Hodie enim in cibis assumendis largiores, et prodigales sumus. Hinc chylus crudus modo citius, modo tardius, sanguini assimilatur. Adest enim uel sal fixum, uel acidum fixum, regibus nostris semper insidias struens: unde omnia symptomata facile deduci possunt. Certum enim est non semper scorbutum ab una aliqua singulari, et simplici causa proxima ortum suum habere, ac dependere; sed saepe a multiplici. Vix equidem plura sulphurum saliumque genera in Hermeticorum officinis, quam in sanguine scorbuticorum, inuenire est. In primis uis latere cruditatem acidam, nulli dubitamus, cum nunquam uentriculus insons in hoc malo reperiatur: in sanguine esse lympham acriorem, et salinam. Exinde enim tota massa circulans inficitur. Non male Scorbutus comparari potest cum senio, In senibus sal uolatile depressum est, pauci spiritus generantur, lympham acris dominium capit; unde multa symptomata, quae Scorbuto communia sunt. In quibusdam subiectis hic affectus sulphuris Mepbitim olet: in aliis, ubi salia abundant, ad salis fixi naturam, seu tartarum, propius accedit: in aliis stipticam refert calcantibi aciditatem; in nonnullis alumen simulat, alique stygiae atrocitatem persentire coguntur, tot enim Scorbuti species, seu differentiae dici possunt, quot sunt uitiosae sanguinis tincturae, e salibus diuersis, et horum diuersimoda combinatione ortae. Sic et Scorbuti causa proxima aliquando ortum habet ab eximio sanguinis acore, cum particulae salinae uniuersam sanguinis massam infensissima imbuerint aciditate, et id genus alia. Atque hanc qui-*

dem materiae, in scorbuto peccantis, diuersitatem ab eo iam tempore, quo regnare coepit Scorbutus, attenderunt Medici. Hinc enim enatas puto uarias Scorbuti distinctiones. Sic scilicet diuiserunt nonnulli Scorbutum in biliosum, exanthematis, aliisque apertioribus symptomatis se pandentem: et melancholicum, cuius uirus, quasi sub cineribus coopertis latens, facultatum laesione intrinseca potius, quam externis eruptionibus dignoscatur. Alii in calidum, et frigidum distribuerunt. Hac illud uolunt distinctione, in frigido Scorbuto humores omnes, sibi cohaerentes, crassos, et coagulatos, existere, frigusque magis percipi, ac omnia languere, et tumere, ob subtiliorum partium depressionem: cum contra in calido Scorbuto plures particulae, nexu solutae, tumultuentur liberius, calor magis sentiatur, affligantque haemorrhagiae crebriores, diarrhoeae, imo dysenteriae, uelox ira, phlogoses, et eiusmodi. Et hanc quidem Scorbuti in calidum, et frigidum, distinctionem omnium maxime notabilem uocat WEDELIVS, quaeque plurimum afferat utilitatis in medendo. Quin et eandem tali explicare conatur modo. *Radicatur autem, inquit, Scorbutus calidus in acido bilioso, cum particulae sulphureae salinis, acidis, acerbis, magis acuuntur: frigidus uero radicitur in acido sero, ubi acidum magis peccat. Scorbutus frigidus nihil aliud est, quam melancholia primi generis morbosa, siue status seri, particulis fixis, salinis, acidis, tartareis, et fluorem adeptis, inquinati: Scorbutus autem calidus est melancholia secundi generis, quando minori seri diluentis, quantitate salia acra, acerba, austera, pontica, sulphur abundantius biliosum explicant, et corrumpunt. In Scorbuto frigido salia acida: in calido salia alcalia praedominantur: in frigido effectus, et Φαινόμενα obseruantur frigida; in calido uice uersa calida.* Hinc uero recentiores a calidis, frigidisque qualitatibus in morborum explicacione uel ab ipso iam Hippocrate abstinere iussi, qui affirmat, non calidum, frigidum, aut siccum esse, quod magnam agendi uim habeat, uerum amarum, et salum, et dulce, et acidum, et insipidum, et acerbum, et sexcenta alia, partes materiae in Scorbuto peccantis determinare ausi sunt. Hos inter non ultimus est CHARLETONIVS, qui intu-

constituit, quorum primum a sanguinis ranciditate, siue sulphureo salinis corpusculis simul exundantibus deduxit: alterum a copia salino-fixarum terrestrium, uel tartarearum particularum immediate oriri credidit: tertii denique ortum, atque fomitem acedini, siue salino acidis, et ad fluorem deductis particulis, sanguinem opplentibus, attribuit. Hasque salium scorbuticorum differentias a se inuicem dignoscere, ut omnino illi sciendum putauit, qui feliciter curare Scorbutum cupit: ita magnum se aggressum opus, egregiumque se praestitisse laborem existimauit T. ZWINGERVS, quando, quomodo causae cognosci possint, his uerbis edocuit. *Itaque Scorbutum a Sulphureo - salsa Cacochymia inductum prodere, et indigitare possunt Maculae, Exanthemata, Ulcera, Tubercula, Nausea frequens non sine Vomitu, Cardialgia, Diarrhoea, uentris Tormina minus acuta et pungentia: frequens sanguinis Phlogosis, Scotomia, Vigiliae, Cephalalgiae, cum ardore affligentes, Melancholia ad Maniam inclinans, etc. Scorbutum a Sale fixo, salso, tartareo, productum, indicant magis Dyspnoea frequens, Praecordiorum angustia, Lipothymiae, Palpitatio Cordis, Torpor, Lassitudo spontanea, Motus spasmodici, Dolores artuum uagabundi, Arthritisque uaga, Alui segnities, Somnusque profundior. In Scorbuto, per acida salia copiosa excitato, frequentiores obseruantur neruorum irrationes, Cutis horripilationes, atque rigores, frigoris sensus in occipite, ac Spina dorsi, interdum per membra decurrens: spasmi flatulenti, Conuulsiones totales, Passiones hystericae, aut hypochondriacae: Aluus modo laxa, modo adstricta: Tristitia, et Melancholia, Salua subinde acidula, Vomitus, et Ructus acidi: Exulcerationes cutaneae uarii generis: Cordis tremores, et Palpitationes, Lipothymiae cum sudore frigido, Odontalgiae, Gingiuae erosio, et corruptio: Dentium uacillatio, Rheumatismus, Tumores scirrhosti, et cancrosi, ac similia. Quod si denique contingat, ut Symptomata mixta Hominem affligant, mixta quoque Causa morbifica credenda erit.* WILLISIVS, ut plerasque speculationes suas de natura morborum excellis uinariis, et cereuisiariis deriuauit: ita et Scorbuti differentias iisdem in locis se inuenisse, credidit. Imitatus uidetur hac in re SENNERTVM, qui iam olim sanguinem in Scorbuto, sicut uinum in acetum degener alterari putauit. At WILLISIVS paullo aliter simili, a uino desumpto, utitur. Censuit enim ille, sanguinem in crasi sua constare ex particulis, more particularum uini temperatis. Hinc et in uniuersum more eodem, quo soleat uinum, corrumpi sanguinem. Denique cum multis corrumpi modis queat uinum, modis iisdem, similibusue multas, uariasque in sanguine affectiones generari. Sigillatim autem, quod ad Scorbuticam spectet diathesin, ad illam respiciendam esse Dyscrasiam uinorum, qua spiritu depresso, particulae sulphureae, salinaeque ueluti combinatae exaltentur. Idque duplici fieri modo posse. N

praeterquam quod in uappam aut acetum, uina degenerent, eadem nonnunquam a spiritu depresso, pariter ac sulphure, et sale, una exaltari, indeque aut rancida, aut pendula siue mucilaginosae euadere. In utraque mutatione, spiritu subiugato, particulas sulphureas, et salinas inter se implicatas, pollere plus, quam elementa uini ualeant cetera, atque pro indole sua crasin liquoris, deflectere, attamen non eodem prorsus modo in utroque rem agi. Nam in priore uini dyscrasia sulphur potius, quam sal: at in posteriore sal potius, quam sulphur abundare: quin et alterutrum abundans, excusso spiritus iugo, alterum sibi associare, supraque debitum adeo tenorem attolli. Eadem iam prorsus ratione in sanguine, quem deprauet Scorbutus, depresso spiritu, particulas sulphureas, salinasque inuicem innexas transcendere, atque eleuari. Nec enim Scorbutum tam a fecibus, sanguini admixtis, quam a sanguinis dyscrasia habituali pendere. Scorbutum namque, altius infixum, non, nisi aegre, saepeque prorsus, atque omnino non curari. Ceterum haec omnia, quae de uino diximus, quomodo ad sanguinem Scorbuticorum applicari debeant, aut possint, ex ipso uelim intelligas WILLISIO. Is enim uero sic loquitur. *Sanguinis dyscrasiam Scorbuti parentem, pariter ac uini duplicem, nempe sulphureo salinam, ac salino-sulphuream, statuere licet. Cum enim maxima sit uarietas effectuum, qui Scorbutu accensentur, omnes ad haec duo quasi praecipua capita, seu uelut binos mali fontes, satis apte reuocari possint, scilicet primo, quod sanguis, miasmate scorbutico tactus, aut praeferuidus existit, in quo nempe sulphur, praedominio potitum, sibi salem asciscit: qua propter iste rancidior factus inordinate in uasis efferuescit, atque recrementa adusta, nempe sulphuris, et salis concretiones, perpetim a se amandat, atque huc illuc dispergit, quae quidem exterius suffusae maculae, exanthemata, tubercula, aut ulcera producant: interius uero depositae uomitus, cardialgias, diarrhaeas, aut dysenterias; porro atroces dolores pariunt. In huiusmodi Scorbutica sanguinis ranciditate remedia solum temperata, ac crebrae phlebotomiae; ac minime cochlearia, rapbanus siluestris, aliaque acredine, et incitatione praedita conueniunt: pari quidem ratione, ac uina rancida curantur eximendo e fecibus: insuper lactis, amyli, ichthiocolloae, aliorumque demulcentium infusione. Vel secundo in sanguine, Scorbutum fouente, sal praedominio potitum, sibi met sulphur adsciscit: quapropter, iste non ita feruidus, quia, uini penduli instar, crassus, et quasi mucilaginosus, euadit, pigre in uasis circulator; uiscera dum pertransit infarcire, iisque faeculentias quasi limosas, affigere aptus est. Taliter affecti, ut plurimum sine exanthematis, aut eruptionibus cutaneis, torpidi, anhelosi, ac enerues fiunt, lassitudine spontanea, pectoris angustia laborant; quin et passio-*

tur. Porro in huiusmodi diathesi Scorbutica, remedia calidiora, et sale uolatili praedita, immo et chalybeata, quae sanguinem fundunt, et exagitant, maxime ex usu esse solent: pari quidem ratione, ac uina pendula tractantur, nempe plurimum conquassari, et agitari debent, porro iis calx uiua, alumen ustum, gypsum, sal marinus calcinatus, aliaque summa acredine praedita, imponuntur. Haec uero omnia utut multis laborent difficultatibus, utut etiam omne simile claudicet, ac illa praeterea sanguinis cum uino comparatio minime probetur omnibus: tamen ueterum exinde opinionem non parum illustrari persuasum nobis habemus: praesertim cum ipse alibi WILLISIVS diathesin sanguinis scorbuticorum sulphureo-salinam uino rancido aemulam, ueterum dyscrasiae sanguinis adustae Scorbutoque calido; et diathesin nitro-sulphuream uini penduli aemulam, Scorbuto sic dicto frigido respondere, fateatur. ETTMULLERVS certe tam Charletonianae, quam Willisianae Scorbuti distinctioni adeo fauere non uidetur, ut eam neget esse essentialem, tantummodo natam ex eo, quod pro uarietate constitutionis natiuae aegrorum, siue pro crasseos sanguinis, partiumque solidarum, et seminis diuersitate fermentum, seu odor scorbuticus, symptomata plus minus diuersa inferat. Sed tamen simul collaudat eas, quas diximus, Scorbuti differentias: eo quidem nomine, quod iuuent selectus remediorum concinnitatem, methodumque medendi dirigant, quatenus in altero Scorbuti genere remedia magis temperata, et Venae sectio, neutiquam contra acriora, et uolatilia oleosa conueniant; in altero uero remedia magis actiua, et sale uolatili oleoso abundantia, martialia item, et quae acidum uberius temperent, ac destruant, extolli mereantur. Idem ille calculo et alibi suo adductas Scorbuti uarietates approbat, eo quod statuit, difficilius curationis obseruari Scorbutum calidum, quam frigidum, cum in illo particulae sulphureo-salinae sanguinis massae intimius iunctae uideantur; in hoc uero laxae magis adhaerescant ipsi. Venit mihi nunc in mentem recordari C. I. LANGII. Fallor? an sulphur quouis modo peccans plane a Scorbuto excludere uidetur, quando aliquas Scorbuto differentias largitur. Certe fallor minime. Vir enim iste pessimi huius causam mali in acrimoniam praeternaturalem sanguinis coniicit, quam nunc falsam pronunciat, nunc acido-falsam, quae resoluenndo, uellicando, et erodendo, symptomata sua procreet; utriusque uero naturam ex primarum uiarum cruditatibus, uel salinae sapore, tanquam criteriis optimis facile cognosci posse sibi it persuasum. Rectius uidetur existimasse de materiae, Scorbutum fouentis, uarietate BOERHAVENIVS. Is enim, causam Scorbuti proximam eam esse sanguinis indolem, contendit, qua et crassitie simul in una, et tenuitate aeri-falsa, alcalica, uel acida, in altera

perque uniuersam morbi eundo historiam explorare, exploratamque distinguere praecipit, ac iubet: atque ita quidem, ut in emendatione crassi semper respiciatur ad naturam tenuis, et uice uersa. Tutissimam omnium autem uiam in definienda peccante Scorbuti materia uidetur SENNERTVS instituisse. Is enim uero Vir summus nec generatim nimis, nec nimis speciatim eam determinauit, ingenue professus, humoris, quem omnium proximam uocat causam, naturam plane cognitam non esse. Licet enim antecedentem Scorbuti causam humorem melancholicum, crudum, simulque ichorosum, seu serosum, cui interdum et alii humores crudi, ac corrupti permisceantur, accuiet: tamen, corruptelam eam, quam suscipiat humorum colluies melancholicorum, serosorum, tartareorumque, peculiarem, ἀρρητον, atque occultam esse, pronunciat. Denique mauult Vir iste profiteri, nos in communibus humano generi ignorantiae tenebris uersari, et corruptelae huius modum non posse satis definire, nec, nisi ex effecto diiudicare posse, quam ea, quae fundamento nullo nituntur, ad ignorantiam nostram palliandam affirmare. Sique dicendum, quod res est, nondum sane per scientiam, quae rem antegreditur, materia Scorbuti fuit explicata. Ipse, qui audentius ut in omni fere aegritudine, ita et in Scorbuto in acidum culpam refert ETTMULLERUS, acidum Scorbutum generans uocat sui generis, hoc est indeterminabile. Atque plane sic res est. Vix enim est, ut credam, particularum, sanguinem scorbuticorum inquinantium, uarietatem omnem, uarieque proportionatam mixtionem, ac uarios motus, eorundemque tendentias, exponi satis unquam posse. Neque tamen idcirco multifaria sanguinis dyscrasia negligi, atque obseruatu indigna uideri debet. Vel illud enim negari nequit, salinum principium nunc uiscidis sanguinis partibus magis esse intertextum, nunc liberum magis, sui que iuris reperiri, immo uolatile quasi esse, et cum sulphuris copia coniungi. Hoc ipsum caue, negligas: hoc potius fundamentum curationis, fac, iacias, pariter et delectus antiscorbuticorum remediorum, quae aduersa omnino fronte in se inuicem incurrere uidentur. Neque tamen haec alia esse poterant, cum ipsae, unde Scorbutus enascitur, causae sibi aduersentur. Quare illud tantum modo cauendum, ne promiscue eiusmodi remedia adhibeantur. Ceterum eorundem habere delectum summae opus artis, ut experientissimus PECHLINVS rem eam uel desperasse uideatur. Is, ubi mirum in modum se torserat in assignandis remediis, tam alkalini, quam acidi salis scorbutici copiae accommodatis, in haec tandem erumpit uerba. *Cum modum tenere in illa particularum ignorantia non possimus, tutius est, et experientiae conuenientius, alia uia sanationem Scorbuti tentare, et Medicamenta praecipere, quae utrique*